D. JOANNIS
GUTIERREZ
HISPANI,
JURISCONSULTI PRÆCLARISSIMI,

Almæ Eccleſiæ Civitatenſis Canonici Doctoralis, & Advocati Placentini;

PRACTICARUM
QUÆSTIONUM CIVILIUM,

SUPER PRIMA PARTE LEGUM NOVÆ COLLECTIONIS
Regiæ Hiſpaniæ,

LIBER QUINTUS:

IN QUO SEXAGINTA TRES QUÆSTIONES
Admodum utiles in praxi continentur,

Materiæque ECCLESIASTICÆ plurimæ tractantur:

Nec non & in quibuſdam earum de defenſione NOBILITATIS (hoc eſt, de la HIDALGUIA) antiquiſſimæ VIZCAGINORUM, tam latiſſimè, quàm curioſè admodum, atque generaliter de NOBILITATE HISPANICA, ejuſque origine à nobiliſſimis GOTHIS deducta, agitatur.

CUM TABULIS LEGUM ET QUÆSTIONUM, NEC NON RERUM AC VERBORUM INDICE UBERRIMO.

NOVA EDITIO, PRIORIBUS CORRECTIOR, ET ELEGANTIORI ORDINE DISPOSITA.

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus PERACHON & CRAMER.

MDCCXXX.

CUM PRIVILEGIO S. CÆSAREÆ MAJESTATIS.

D. JOANNIS

GUTIERREZ

J.C. HISPANI PRÆCLARISSIMI

PRACTICARUM

QUÆSTIONUM CIVILIUM

Circa Leges Regias Hiſpaniæ, ſuper prima parte Legum Novæ Collectionis Regiæ,

LIBER QUINTUS.

SUMMARIUM.

1 *Onus probandi valorem bonorum parentis dotantis filiam in certa quantitate pecuniæ, vel in aliis rebus mobilibus & immobilibus, vel ſe moventibus, aut conjunctim, ad ſciendum, an dos ſit inofficioſa, nec ne, cui incumbat, & numeris ſequentibus, ubi referuntur opiniones contrariæ, & num. 4. eligitur opinio Baëça tenentis incumbere allegantis exceſſum, niſi in inſtrumento dotis expreſſe eſſet facta melioratio vel promiſſio meliorandi.*

3 *Allegantes exceſſum dotis receptæ & poſſeſſæ à filia & genero, indubie id probare tenentur.*

5 *Fundans ſe in aliqua qualitate, ſive reus, ſive actor ſit, tenetur eam probare.*

6 *Mulier petens arrhas, an teneatur probare eas non excedere decimam partem bonorum ejus, qui eas promiſit, ſi contrarium ſibi objiciatur, an verò id objiciens, quod excedunt?*

QUÆSTIO I.

In lib. 1. tit. 2. de las dotes y arras, lib. 5. Nov. Collect. Reg.

Cui incumbat onus probandi valorem bonorum parentis dotantis filiam, in certa quantitate pecuniæ vel in aliis rebus mobilibus & immobilibus, aut ſe moventibus, vel conjunctim.

1 QUÆRO I primo circa hanc legem, *cui incumbat onus probandi valorem bonorum parentis dotantis filiam in certa quantitate pecuniæ, vel in aliis rebus mobilibus & immobilibus, aut ſe moventibus, vel conjunctim; an filia dotata, ejuſque marito, quod parens habuerit tot bona, è quibus ſibi dos conſtituta promitti potuit intra metam ab hac l. taxatam, contrarium aſſerente altera parte: an verò huic parti contrarium, nempe quod dotans non habuerit tot bona, ex quibus pro legitima filia dotata dos integra jam conſtituta ſibi aſſignari non potuerit?* Quæſtio profectò practicabilis quotidie ac difficilis eſt, ideò hic eam examinandam conſtitui: tametſi capi in ea reſolutio poſſit ex latè à nobis ratiocinatis in ſimili quæſtione de promiſſione arrharum, quoties dubitatur, *an intra decimam partem bonorum eas promittentis contineantur, nec ne, quis debeat probare?* & de legato facto à teſtatore, quod dubitatur, *an includatur in quinto bonorum ipſius teſtatoris deſcendentibus legitimis, nec ne, quis debeat etiam in hac ſpecie probare?* in meo tractatu de juramento confirmat. 1. part. cap. 1. num. 21. *cum ſequent.* ubi in ſpecie noſtræ quæſtionis retuli licentiatum Baëçam ſuper pragmatica de Madrid. 101. anno 1534. comprehenſa in hac noſtra l. 1. qui *in tract. de meliorat. ratione dotis filiabus, cap. 36. n. 13. cum ſequent.* latiſſimè examinat quæſtionem noſtram pro & contra, & in ea eſt ſententia, quod ſi quis ſimpliciter centum promiſit in dotem, teneatur ea ſolvere, niſi probet excedere filiæ legitimam, ſicut in promiſſione arrharum idem contingit, ut probavimus, *ubi ſuprà*, contra Roderic. Suar. Et Ant. Gom. tandem hanc opinionem eſſe magis expeditam fatetur, ſi quis peteret arrhas & dotem ex inſtrumento publico: tunc enim propter auctoritatem rei judicatæ, quam inſtrumentum continet, non tenetur quicquam probare, quia habet ipſe inſtrumentum promiſſionis, & quod certè ſive judicio ordinario agatur, ſive executivo, ſemper judicaret onus probandi pertinere ad eum, qui arrhas vel dotem defalcare vult, ex eo quod nimiæ doti, vel tot arrhis bona non

D. JOANNIS GUTIERREZ HISPANI,

JURISCONSULTI PRÆCLARISSIMI,

Almæ Eccleſiæ Civitatenſis Canonici Doctoralis, & Advocati Placentini;

PRACTICARUM QUÆSTIONUM CIVILIUM,

CIRCA LEGES REGIAS HISPANIÆ SECUNDÆ PARTIS
Novæ Collectionis Regiæ,

LIBER SEXTUS,

SEU

TRACTATUS DE GABELLIS:

IN QUO CENTUM ET SEPTUAGINTA QUATUOR QUÆSTIONES
Admodum utiles in praxi continentur: ac in iis ſparſim Tractantur
MATERIÆ ECCLESIASTICÆ non paucæ.

UNIVERSAM MATERIAM SATIS AMPLAM ET DIFFUSAM
quidem, nunquam tamen ita congeſtam, certa quadam methodo miro ordine contexens.
OPUS OMNIBUS JURISCONSULTIS, TUM IN FORO, TUM IN SCHOLIS
Verſantibus apprimè utile & neceſſarium.

CUM INDICIBUS LEGUM ET QUÆSTIONUM, NEC NON RERUM
AC VERBORUM LOCUPLETISSIMIS.

Nova EDITIO, prioribus correctior, & elegantiori Ordine diſpoſita.

COLONIÆ ALLOBROGUM.
Sumptibus PERACHON & CRAMER.

MDCCXXX.

CUM PRIVILEGIO S. CÆSAREÆ MAJESTATIS.

D. JOANNIS GUTIERREZ

J.C. HISPANI PRÆCLARISSIMI

PRACTICARUM QUÆSTIONUM CIVILIUM

Circa Leges Regias Hiſpaniæ, Secundę Partis Novæ Collectionis Regiæ,

LIBER SEXTUS.

TRACTATUS DE GABELLIS.

SUMMARIA.

1 *Cenſus à cenſendo (hoc eſt) æſtimando dictus eſt, æſtimatio quippe bonorum cujuſque, quæ ſiebat, ut juxta illorum quantitatem, ac valorem tributum imponeretur, cenſus dicta eſt.*

2 *Cenſus nomen accommodatum eſt, ad ſignificandum, tum facultates, ac bona cujuſque, eo quod cenſeri, ac æſtimari conſueverint, ut intelligeretur, quantum quiſque ſubvenire in bello Reipublicæ poſſet; vel etiam ad tributum imponendum: tum etiam ad ſignificandum tributum ipſum, quod ex iis ſolvebatur: inde extenſum eſt nomen, ad ea etiam tributa ſignificanda, quæ per capita imponebantur, præſertim in ſubjectionis, ac dominij juriſdictionis recognitionem.*

3 *Cenſus tamen hujuſmodi apud Chriſtianos Principes non eſt uſu frequens, eo quod ad ſuperbiæ tumorem potius, & avaritiæ ſit, & pertineat, quam ad publicorum ſumptuum neceſſitatem.*

4 *Tributum à tribuendo, ſive contribuendo dicitur, eo quod quiſque ſtipem tribuat, & quoniam antiquitus illa ſtipum contributio non ſiebat, niſi ad alendum publicum militem, inde etiam ſtipendium derivatum eſt.*

5 *Tributum differt à cenſu ratione materiæ, & finis ut hic.*

6 *Tributum à tribuendo dictum, aptiùs poteſt extendi ad ſignificanda etiam vectigalia omnia, eaque, quæ ad vectigalia reducuntur, ut ſunt Alcavalas, Almoxarifazgos, & his ſimilia, veluti jura, ſalinarum, piſcationum, mineralium, &c. ſicque frequenter ſumitur.*

7 *Cenſus utroque modo ſumptus, eſt tributum.*

8 *Vectigal differt à cenſu, & tributo, ſine, & materia: ſolvitur enim de mercimoniis quæ vehuntur negotiationis gratia ad murorum, pontium, aliorumque id genus publicorum operum refectionem, & dicitur à vehendo, idemque à portu, portorium, quia portitori ſolvitur, & Hiſpanice, portazgo, & nu. 9.*

10 *Vectigalis, & tributi differentia.*

11 *Vectigalis ratione olim octava pars debita erat: hodie autem decima eſt omnium rerum pars, ſed apud nos Almoxarifazgo dicitur, & L. 5. tit. 7. par. 5. octava pars æſtimationis ſolvenda erat, nunc vero quandoque decima, quandoque minor eſſe ſolet, pro diverſitate locorum.*

12 *Gabella large, & generaliter comprehendit omnem exactionem publicam.*

13 *Alcavala in Hiſpania eſt jus quoddam, quod modo Principibus apud nos competit, & redditur decimæ partis pretij omnium rerum, quæ venduntur, aut permutantur, ut latius hic.*

14 *Alcavala menitio jure communi Romanorum nulla ſit; licet apud eos frequens quoddam venditionis tributum fuerit gabellæ noſtri temporis non diſſimile, ut hic, quinimo & aliarum rerum venalium centeſimæ pars fiſco ſolvebatur, ut in nu. 15.*

16 *Alcavala Regalis decima verè, ac propriè tributum non eſt, ſed veriùs velut lex, & ſervitus quædam eſt venditionibus, & permutationibus impoſita, ut in num. 17.*

18 *Gabella, quæ ex contractu debetur juri gentium refragatur, non ſic tributa, quæ Regibus debentur.*

19 *Alcavala eſt jus, onuſque perſonale Regi debitum à venditoribus, & permutatoribus, eos obligans, ſeu adſtringens ad ſolvendam decimam partem pretij rei venditæ, & æſtimationis, vel valoris rei permutatæ; & in numeris ſequentibus hoc declaratur.*